

De tribus bonis coniugij

XXXI

**Q**uestio hec de bonis coniugij que sint et qualiter contrahuntur excusetur dicendum est. Tria sunt principaliter bona coniugij. In Augustinus. Nuptiale bonum tripartitum est. scilicet fides. proles. sacramentum. In fide attenditur ne post vinculum coniugale cum alio vel alia coeat. In prole ut amantur suscipiantur religiose educantur. In sacramentum ut coniugium non sepe et dimissus vel dimissa nec causa pro alio coniungatur.

De duplici separatione

**S**eparatio autem gemina est. corporalis et sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis et ex communi consensu causa religionis siue usque ad tempus siue usque in finem. Sacramentaliter vero separari non possunt dum viuunt si legitime personae sint. Manet enim vinculum coniugale inter eos etiam si alius a se discedens adhererit. In Augustinus. Et sic adeo manet inter viuentes semel inita iura nuptiarum ut potius sint inter se coniuges etiam separati quam cum alijs quibus adhererunt. Item manet inter viuentes quoddam coniugale vinculum quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre. Sicut apostata a iure de coniugio christi recedens etiam si fide perdit sacramentum fidei non amittit quod lauacro regenerationis accepit. Redderet enim redeuntis si amisset abscedens. Habet autem hoc quod recesserit ad cumulum supplicij non ad meritum premij. Item quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentie in perpetuum continere abstrit ut vinculum inter illos coniugale rumpatur. Imo firmitus heret quo magis ea pacta secum gerit que charius concordiusque seruanda sunt non voluptarijs corporum nexibus sed voluntarijs animorum affectibus. Et attende quod tertium bonum coniugij scilicet sacramentum non quod sit ipsum coniugium sed quia eiusdem rei sacre signum est. id est spiritualis et inseparabilis coniunctio christi et ecclesie.

Hec tria non assunt omni coniugio

**E**t est sciendum ab aliquibus contrahi coniugium ubi hec tria bona non comitantur. Deest ei fides ubi vir cum alia et mulier cum alio coit. Hoc ergo bonum ita coniugio adheret ut ex eo si assit amplius commendetur coniugium. Si non assit non inde annuabitur. Que enim adultera est non ideo con-

iunx non est. imo si coniunx non esset adultera non foret. Quod cum sit culpa committitur sacramentum vero non cassatur. Bonum quoque proles non omnibus adest coniugibus. Quidam enim pari voto continentiam seruant alij peratis defectu vel alteri rei causa generare non valent. Nec omnes illi etiam qui plerum recipiunt bonum proles habent. Nam bonum proles dicitur non ipsa proles sed proles spes que ad religionem non referatur imo ad hereditariam successionem ut cum quis heredes terrene possessionis heredes desiderat sed spes ac desiderium quo proles ad hoc queritur ut religione informetur. Multi quoque plerum habent quod tamen bono proles carent nec ideo tamen coniugium esse desinit. Sacramentum vero ita inseparabiliter coniugio beret legitimum personarum ut sine illo coniugium non esse videatur quod semper manet inter viuentes vinculum coniugale ut etiam interueniente diuortio fornicationis causa coniugalis vinculi firmitas non soluat. Ubi vero non inter legitimas personas contrahitur coniugium non adest illud bonum quod dicitur sacramentum quia potest solui talium copula de quibus post dicitur. Quod vero coniugium sit inter eos quod coniugali affectu non tamen gratia proles et explende libidinis conueniunt nec fornicarij sed coniuges appellentur ostendit Augustinus inquit. Solet queri cum masculus et femina nec ille maritus nec illa vxor alteri subinet non filiorum procreandorum sed per incontinentiam solius concubitus causa copulatur ea fide media ut nec illa cum altero nec ille cum altera faciat id est vtrum nuptie sint vocande. Et potest fortasse non absurdum hoc appellari connubijs si usque ad mortem alicui eorum id inter eos placuerit et proles generatione quibus non ea causa coniuncti sunt non tamen vitauerint ut vel nolint sibi nasci filios vel etiam ope malo aliquo agant ne nascantur. Etenim si vel vtrumque vel vnum horum desit non inuenio quod has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit doctorem nec aliquam dignam honoribus aut suis facultatibus inueniat quam in coniugio adducat animo ipso adulter est nec cum illa quam cupit inuenire sed cum illa cum qua sic cubat ut cum ea non habeat maritale consortium. Ecce coniuges dicitur qui solius concubitus causa conueniunt si tamen proles generatione aliquo malo dolo non vitent.

De his que curant venena sterilitatis

**Q**ui vero venena sterilitatis curant non coniuges sed fornicarij sunt. In Augustinus. Aliquos eorumque puenit sed libidinosi